



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 26. Franciscus Sfortia Felici obedientiam pollicitus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Regni Neapolitani jure Renatus potire-Sæcul. XV.  
 tur, non autem Alphonsus, utpote illius A.C 1442.  
 usurpator, proin Calabriæ Ducatum hæ-  
 reditario jure ad Joannem Renati Filium  
 devolvi, Ferdinandum vero non nisi intru-  
 sum Ducem esse, nullumque jus in Sici-  
 liæ Regnum eidem competere. Panor-  
 mitanus Episcopum talia effutientem re-  
 darguit, dicens, quod sine ullo Renati  
 mandato ea faceret, quæ tamen nec ipse  
 Dux ullatenus probaturus esset, subjun-  
 xitque hanc suam agendi rationem eo  
 magis reprehensibilem esse, quo impen-  
 sius Alphonsum ejusdemque Filium ut-  
 pote Concilii fautores, colere, nullatenus  
 autem eorum Adversarios tueri opor-  
 teret.

### §. XXVI.

*Franciscus Sfortia Felici obedientiam  
 pollicitus.*

Præterea Basileenses ex Francisci Sfor-  
 tiæ promissis amplas conceperunt spes,  
 quæ tamen brevi temporis spatio eva-  
 nuerunt, eoquod officiæ ejusmodi pol-  
 licitationes nonnisi ad proprium Sfortiæ  
 commodum atque proventum tende-  
 rent. Erat is Bellidux militari expe-  
 rientia, animique virtute suo ævo longe  
 præstantissimus, & Philippi Mediolanen-  
 sis Ducis gener, cuius tamen hostis e-  
 vasit,

**Sæcul. XV.** vasit, postquam Venetorum partibus accesserat. Incurrebat insuper Eugenii indignationem ob usurpata quædam Romanæ Ecclesiæ bona, quæ Pontifici, licet summis urgeretur precibus, prius restituere recusaverat, postea tamen reddere compulsus est. Hæc itaque iniquo ferens animo Sfortia, dimisso Eugenio ad Felicis partes transire constituit. Huncque in finem Thomam de Rieti primo Lausanam, dein Basileam alegavit, qui cum Felice ageret.

### §. XXVII.

*Felix a Sfortiæ Oratore vanis promissis delusus.*

Orator, ubi Basileensium conventum acceſſerat, in Eugenium innumerā protulit calumnias, Basileenses vero Ducis sui nomine quatuor pollicitationibus lactavit. I. Venetos, Florentinos, & Genuenses in Felicis obsequium juraturos. II. Sfortiam evoluto Mense Junio bello petiturum, quemcunque Felix imperaret, aut compescendum judicaret, dummodo privilegia, vi quorum magnus Ecclesiæ Romanæ Vexillifer esset, ab Eugenio sibi antehac concessa confirmarentur. III. Eundem intra duos menses Romanam urbem, atque Ecclesiæ Provincias occupaturum, Felici demum asserendas.